



Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Das ist ... zweyfache Predigen/ Für alle Sonntäg/
Mittwoch und Freytäg ... in der Fasten ... Erster Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augspurg, 1719

Prologus Authoris Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76477)



PROLOGUS AUTHORIS AD LECTOREM.



N lucem jam tandem podire facio, benigne Lector promissam olim quadragesimam meam, ob afflictam valetudinem, aliosque quibus involutus sum, turbines, sat diuturnas remoras passam; ita ut sperare paulo ante vix potuerim tam cito eam prodituram: illud tamen non diffidendum, longissimam moram in eo fuisse,

quod innumera poene sint, quae jam hoc super puncto sunt edita. Sed enim illud tibi dicere jam possum quod Quintus Symmachus Aufonio dixisse fertur; quod nempe, siqua culpa in me sit, ut haec edam, benignitati tuae ea potissimum sit imputanda, utpote quae priora mea opuscula ita probavit, tamque cupidè excepit: *Ita benigne nostra comprobas, ut libeat non*

Symmach.
epist. 1. ad
Aufon.

Eccles. 9.
num. 10.

Ansbert.
epist. ad
Stephan.
Pap.

tacere. Adde, quod ipsemet Divinus Spiritus urgeat, ut quis nostrum ea, quae potest operetur: *Quodcumque potest manus tua facere instanter operare.* Cum ergo ego scribere quid pro bono publico potuerim, idcirco Abbas Ansbertus continuo mihi instare videtur, quod extra culpam minimè forem, si id omitterem: *Ecce enim, ait ille, potest manus stylo proferre, quod potest lingua verba formare: Et quis erit à culpa innocens, nisi fecerit hoc, quod ut facere possit, desuper datum est?*

Clemens.
Alex. lib. 1.
Strom.
Senec. epist.
109.
Prov. 11.
& ibi Pa-
raphr.
Chald.
Ambr. li. 1.
offic. cap.
11.

Sed hoc praetermissio propria, eaque interior utilitas me movet: nam (uti quidem S. Ambrosius testatur) ille, qui pro alijs studet, eadem occasione sibi ipsi sapere incipit: & quod docet, vel maximè etiam discit; estque iste perfectissimus discendi modus. *Intentionem, et diligentiam circa scripturas divinas opto assequi, ut docendi studio possim discere.* De reliquo nolo quid privatim in hac, quae modo offertur, quadragesima tibi commendare; nam praeter id, quod hostis domesticus amor nempe proprius me posset decipere, uti S. Ambrosius iterum testatur: *Unumquemque fallant scripta sua:* Nemo est, qui id melius dicat, & se ipsum commendat, quam ipse liber. Invenies autem in eo duos in ferias singulas principales sermones, & alios nonnullos, quos index referet curioso. Et unus quidem sermo

PROLOGUS.

mo in exordio exhibet litteralem sensum Evangelij paraphrasim aliquam deductum, uti aliquibus in more positum est: alius vero quasi prævia aliqua introductione ratiocinando ad propositum ingreditur; id quod facilius est apprehendere, tuum ceteroquin erit eligere stylum, qui tibi maxime arridet. Porro si qua pertractanda est materia, quæ fortè in primis duabus partibus Excitatoris Christiani (*des Seelen-Weckers*) similem sibi habet tractatum, in margine locum illum citatum invenies, ubi proin alia invenies argumenta, quæ forsitan gustui tuo jucundiora, aptioraque erunt: imò non argumenta duntaxat ex prioribus duobus tomis dicto modo allegata, sed integros sermones quadragesimales in remissionibus (ad finem cujuslibet partis quadragesimales annexis) invenies, dummodo remissiones illas attentè legere volueris. Denique in duos tomos divisam volui hanc quadragesimam, ne unum volumen nimis quantitatis manus gravaret. Illud enim te rogo, ut optimo meo desiderio tibi serviendi, tu ipse respondeas, simulque Domino DEO nostro me cummendes; Quem ego ceteroquin cum S. Augustino in simili accessione cum deprecante humiliter deprecor, ut suprema ejus Majestas errores meos mihi indulgeat; te vero, ut illis ignoscas, pariter rogo, quia certe saltem bonam in me erga te voluntatem jam non ignoras. *Quacunque in hisce libris dixi de tuo* (ait S. Augustinus ad Deum) *agnoscas tu, agnoscant & tui: si qua de meo, ignoscant & tui, quibus, ut minus valui, pradesse saltem volui.* Vale.



D.egi